DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. FEBRVARII

M. GVILLELMO PETIT, Doctore Medico, Præside.

Est-ne tantùm ab halitu venenato Epilepsia? 1128

CAPVT quondam veteribus jurandi religione sanctum, humani corporis primiceria pars, cujus sunt inquilinæ τέχναι καὶ ἀρεταὶ ψυχικαί, complexu suo coercet cerebrum, sine carne, sine venis, sine cruore, sine sordibus, Naturâ suâ humidissimum & portione maximum. Anima intelligens ab omni materiâ sejugata & nescia interitûs, non verò vlla virtus & potentia naturalis, quæ insit in alterutrius generantis seminio, totam humanæ compaginis molem architectatur, exultansque ac gestiens hocce nobilissimum imponit ei fastigium, quod perperam quis arbitretur cordi tantum refrigerando impositum. Intra medullam hanc ducit cuniculos & cellulas extruit, in quibus fabrefiunt spiritus animales, qui per neruos exinde commeant ad eas partes, quas oportuit esse instructas motu & sensu, quorum ipsi sunt necessarij administri & animæ virium portitores. Pars hæc etsi præcellentissimæ nobilitatis sit, tamen ei multa magnáque morborum offendicula persæpe ingruunt; quorum quidam jure queunt assignari causis manifestis, quidam occultis: sunt qui repente inuadunt, à tenui subtilique causâ profecti, & repente pariter abeunt; nonnulli sensim & sine sensu, quasi laneis nixi pedibus, aduentant, similque lentitudine euanescunt. Inibi humores aggregantur noxij & omnifariæ sordes, quæ substantiam ipsius contaminant, membranas lædunt, neuros irritant, ventriculos impediunt, facultates pulcherrimas & animæ principes conturbant atque diruunt: ipsæ etiam partes in alijs corporis regionibus sitæ, quamuis obsequio ipsi præstando natæ sint, plerumque tamen rebellant, & primarium illud sensorium tetrà anathymiasi acriter incessunt. Hinc magnâ doloris asperitate conflictatur, aut æstu veliementiore anhelat, aut frigoris, humiditatis, siccitatisue importunitate grauiter vexatur. Hinc errores mentis, præpostera ratiocinia, vertigines, melancholiæ, convulsiones, τὰ πεῦμα καταρρεικά, incubus, & quod malorum omnium cumulus est, Epilepsia, quæ fulminis instar, vno quasi momento venit, percutit, abscedit. Apoplexiæ præceps quidem est & subitus allapsus tùm, cùm humore quodam densiore κυριώτερα τῶν κατὰτὸν ἐγκέφαλον κύτη sic occluduntur, vt spiritibus animalibus διέξοδος eruptióque libera non pateſcat, non est tamen dilapsus similis & repentinus: admissis habenis irruit, sed gradu lento testudineóque recedit, excipiente succedanea paralysi, calamitosâ certè, nihilominùs in hujusmodi casu deplorantissimo nemini non optandâ.

MOTVS πτυσμικὸς sunt interdum Naturæ opera, non volentis & spontaneæ, sed coactæ, irritante & ad eos producendos compellente causâ quâdam hostili, quam à se depellere conatur. Hujus generis est sternutatio, ἀπόρρυσις πνεύματος ἔξωθεν, quæ admodum affinis est Epilepsiæ: prisci sternuentibus ζεῦ σῶσον precabantur, quos etiam nunc fauentiâ & votis omnibus prosequi consuetudo vertit apud nos in religionem. Sunt alij motus, quos Natura simul & morbus excitant, ideo vtrique ex æquo tribuendi, quo in numero collocandus tremor membrorum. Sunt qui nascuntur tantum ex causâ & matre inimicâ Naturæ, quibus accenseri debet convulsio, proles morbi alicujus germana. Vlcus fœdum, & virulentâ sanie differtum, ileus miseratione in primis dignissimus, vulnus exceptum neruoso diaphragmatis vmbilico, insignis capitis confractio, neruorum punctio, membrorum luxatio, febres æstuosæ ac maleficæ, importunum hocce symptoma generant, quo musculi ἀκούσιως contrahuntur, cogunturque principium suum versus & originem se referre. Nec quotidianum hoc est; nec ordinarium, & in quolibet morbo solitum, at cum febri superuenit, in vltimum discrimen præcipitat, nec ei, quem impetit, moram multorum dierum ad viuendum protogat. Quandoque defecit in aliquas duntaxat corporis partes, sic strabismo venustatem oculorum populatur, spasmo cynico risûque sardonio conformationem oris honestam amabilitatemque defœdat, interdum totam corporis molem insultu aggreditur, & enormi curuitate statum recti corporis aut in anteriora flectit, aut in posteriora resupinat, aut ad modum rigidi stipitis distendit; quo tetano correpti, post grauissimos dolorum cruciatus, intra quatriduum expirant. Nec cor, quod χαλεπῶν σαθὲς ὑδρὸν ὑπομένει, neque ventriculus, alimoniæ omnis promus condus, spasmi diritatem experitur: φυσώδης, subito aduentu gliscit, nec minùs subito discessu fugit. Qui ἐρεθισμὸν veram convulsionis causam inficiari sustinent, labyrintheis difficultatum anfractibus ita se implicant, vt ne Dædalus quidem ipsos explicare queat, neque intrepidè quis asseruerit hanc esse sobolem καταρρύσεως καὶ κενώσεως: ne vigiliæ intempestiuæ, non vis acrior catharticorum, non frigida potio, non crapula, non morsus virulenti animalium, non cibi putrefacti, non repentinus terroris impetus eam videntur inferre, nisi quatenùs cerebrum & τὸ σπερματικὸν irritatione lacessunt & aduersaria qualitate oppugnant.

NVLLA convulsio ocyor, potentior, & grauior est Epilepsiâ, quæ teterrimi proditoris instar, ex insidijs ægrum aggreditur quouis loco, comitia dissipat, præsentes in metum & fugam conjicit: neque enim fieri potest vt constet illis animi securitas, cum cernunt eum, cui valetudo integra constare videbatur, lapsu præcipiti corruere, sonum quendam confusum & terrificum ex anhelanti pectore extundere, dentibus infrendere, oculos distorquere, & velut rabie percussum, subantis apri more spumas quandoque sanguinolentas ore agere. Majus quid & grauius his omnibus contingit, membra ejus omnia, quasi dæmonio correpti, sic contorquentur, vt natiuam speciem amittant, excrementa ex vasculis suis fœdè fœculenterque erumpunt, nec sine humani generis injuriâ & dedecore semen ipsi genitale ejicitur, denique nec videt, nec audit, nec phantasiâ vtitur, ne meminit quidem præteritorum morbi paroxysmo expeditus, & quod detestabilius est, rationis lumen, tanquam eclipsi deficiens, non solùm obbrutescit, sed spiritibus illatâ vi penitus extinguitur. Quos labes hæc à parentibus propagata stirpitùs afflauit, vna mors vt plurimùm absoluit, aliàs cœli, loci, victûs, ac ætatis mutatio spem aliquam dabit miseris, atque vbi annum supergressi fuerint viceſimum quintum, vix ac ne vix dein ejus immunitatem nacti in sanitudinem releuantur. Hæc regina convulsionum, ne suo quidem sexui parcere nouit, fœminas enim affligit, quibus, vt ejus tyrannidem excutiant, opus esse videtur Numinis alicujus auxilio. Venus Dea illa φιλομειδὴς quæ incipit ijs adblandiri circa annum ætatis decimum quartum, quo tempore fit natiui caloris ἔκκαμψις, & spiritus flagrantiùs excitantur, mammæ sororiantur, venæ ampliantur; tunc ijs benignâ, & salutari menstruorum purgatione delet epilepticam illam diathesin, quam ab origine suâ impressam attulerant. Pueris, dentientibus potissimùm gingiuis, quàm sensibus; vterum gerentibus, quàm vacuis in hunc morbum longè facilior casus, cujus etiam telis silente lunâ, aut euoluentibus se Κατσμηνίοις nati, heroes ac semones, quàm viles è vulgo, ingenio tardo & pingui, multò sæpiùs impetuntur. Melancholiæ in Epilepsiam, & Epilepsiæ in Melancholiam mutuæ sunt vicissitudines. Nihil est in hac ægritudine sacri, nihil diuini potiùs quàm in alijs, nec si forte contingat illâ quemquam arripi, tamen existimet in Numinis offensionem incurrisse hâc pœnâ extra ordinem luendam.

VENENA ex insigni humorum putredine, quæ longiùs progressa sit, sæpiùs proueniunt generanturque in nobis, quàm in brutis animantibus, quæ legi naturæ constantiùs obsecundant, & in eâ tanquam in anchorâ consistunt. Homo solus viuit exlex, nec modum in rebus certum & firmum tueri nouit, aut ordinem tenere nisi præposterum, ideóque frequentes morbi scaturiunt, qui non manifestis qualitatibus, sed totius substantiæ dissidio vitæ nostræ primordia demoliuntur. Inde febres maleficæ, syncopæ graues, dysenteriæ lethales grassantur, nonnunquam gangræna confestim in aliam atque aliam partem se se infert, quæ nata ex causâ hujusmodi inestinâ & virulentâ persistit insanabilis. Nec aliter excuditur Epilepsia, vbi humor quiuis in gradum putredinis altiorem peruasit, cujus vapor noxius, veneno scorpiorum æquiparandus, in cerebrum facit impetum. Nulla pars quamuis in extremo corpore apta longéque à capite sepositа, ne pes quidem aut manus est, quæ virus hujusmodi non exhalet: sed in primis ventriculus & os ipsius obsessum fœcibus impuris, splen limo putri suffertus, cujus haustrum est, & receptator, maximè verò muliebris vterus, in quo non proletaria seu seminis seu sanguinis corruptio efferuescit: nam vbi Natura cunas humani generis constituit, illic & summa veneni exoritur pernicies. Est vbi in cerebro ipso, aut circùm meninges, aut intra ipsius substantiam morbi fomes nidulatur: interdum membranæ aut ossis carie læsi portio majorem in modum labefactatur, sibique vim hanc adscifcit malignam & pernicioſam. Quanquam hujusmodi morbus sit ξυσκαπαμάχητος, non tamen aduersus eum desunt remediorum præsidia, & cum ingenium ipsius altiùs abditum lateat, suppetunt quoque virtutes similiter abditæ quibus potentissimè oppugnatur. Quàm multa in adytis penetralibus majestatis suæ recondit Natura oculis nostris imperuia? Dicat quispiam, si potest, quâ vi purgantia medicamenta humores exigant? A quo, an ab aliquo temperamento colores sint, quis certò hactenus inuestigare potuit? An exsufflandi qui radicem pœoniæ, viscumque Druidum, Epilepsiæ percurandæ ἀνάξια quædam esse non explodenda autumant. Non desunt alia tùm cicurando ejus paroxysmo, tùm præcauendo valde accommoda. Mitescet acrioribus enematis, venæ sectione, emeticis. Is ne fiat rediuiuus, prudens & expertus cauebit Medicus repetito sæpiùs medicamine cathartico etiam mochlico. Sed in hoc genere principatum tenent aquæ Borbonicæ, ad quas velut ad piscinam probaticam Epileptici mittendi: non calefactant omnino illæ, nec arefactant, cerebro & neruis robur addunt, natiuum calorem sopitum excitant, partium obstructiones expediunt, humorumque putredinem impugnant simul & emendant.

QVIDQVID in rerum naturâ subitò ac celeriter oritur atque interit, ortûs sui & interitûs causam habet sine dubio subitò ac celeriter agentem, & pro genio pari repente desinentem. Hujus generis sunt ij morbi, qui velut hostes improuisi irruunt, dein curriculò aufugiunt, nullo sui aut alterius morbi confectarij vestigio relicto & superstite. Elementorum primæ qualitates inter se sic confligentes, vt nullo pacis fœdere vnquam coeant, quanquam intra domicilium atque arcem sensuum non minùs quam intra minores & ignobiliores particellas cient juges pugnas, tamen Epilepsin creare nequeunt, nec earum ὑπερβολαὶ istiusmodi malo cerebrum infestant. Pituita, bilis, melancholia, sanguis, cùm semel inustum habuerint malignitatis characterem, vbi vel in capite vel alibi rarefiunt, fermentescunt, vaporant, ac tenuitatem induunt ad agendum prælualidam, generant morbum istum sonticum, qui ventriculorum cerebri oppilationem, vt & vulgarem aliquam putredinem, parentem nunquam nouit. Humores hujusmodi halitu quodam maleficij sui emissario pretioſum istud sensuum organum, membranas ejus inuolucra, maximè verò tenuem illam acertimi sensûs quâ ventriculorum parietes vestiuntur, irritant, mordent, læsione doloribúsque lancinant, & continuitatem ipsius parum abest quin diuellant: ad quem impetum tam capitalem propulsandum colligit se cerebrum, conttahítque instar stomachi singultientis, & quidquid ei virium tùm à naturâ, tùm ab animâ est, adunat & in aciem producit. Ex istâ dimicatione nascitur motus ille violentus, & tormentum totius corporis, interceptióque animorum & sensuum. Comitialem morbum inuehit, non omnis humor noxius ac venenatus, sed is tantùm qui peculiari quâdam antipathiâ cum mentis arce belligerat. Singulis corporum partibus, potissimùm ijs, quæ obtinent primatum, virus quoddam obluctatur inimicum, easque demoliri & ad interitum vocare conatur: sic διαφθορᾷ inquinatur jecinoris substantia, cor ἑκλύσεως ἰσχυρᾶς; cerebrum Epilepsiâ torquetur. Quibusdam sæpiùs dietim accidit, quibusdam semel atque iterum quâlibet hebdomadâ, quandoque quolibet menſe, quolibetue anno defuncta vnico insultu abit, fugitque suo tempore reditura. Humor ipsius creator ζυμῶται certis interuallis, ocyùs, seriùs, frequentiùs, rariùs, interdiu, nocturnus; nec aliter fieri amat in febribus, in rabie, in alijs ægrimonijs, quarum certi sunt æstus, periodi, accessûs & recessûs. Fames, ira, tristitia & cætera σαθήματα, venus lumbifraga, exercitatio tam violenta, quàm intermissa, suppressio alicutus evacuationis, aut illa ipsa supergressa modum, accelerant illius gradum aut retardant. Venti in telluris visceribus & æolio carcere coerciti, mirum quantos tumultus, quàm subitos excitent, quantis tertam ipsam tremoribus quatiant; tantùm non è situ suo natiuo exturbant; imò quæcumque illa tergo suo sustinet, plerumque secum rapiunt, feruntque sedibus suis avulsa. Σφοδρότατον μὲν δὴ ἐξ ἀνάγκης τὸ τάχιστα φερόμενον, τοῦτο γὰρ μάλιστα διὰ τὸ τάχος, τοῦτο δὲ τὸ λεπτότατον; sic halitus humoresque tenuitate subtiles, turbas in nobis mouent quam citissimè & seditiones: hi momento ab aliâ in aliam partem demigrant, & in caput facile inuolant, symptomata grauia, morbos acres nec minùs promptos procreant. Non sapit ille, & fruſtra contendit, qui morbum magnum ab hâc classe in aliam transcribit. οἱ γὰρ σπασμοὶ πνεύματος μέν εἰσι κινήσεις.

Est ergo tantùm ab halitu venenato Epilepsia.

F.N.P. BIBLIOTHEQUE

5638

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Perreau.
M. Ioannes Armandus de Mauuilain.
M. Bertinus Dieuxiuoye.

M. Stephanus Bachot.
M. Ioannes Baptista Moreau, Prof. Reg.
M. Eusebius Renaudot.

M. Petrus Yuelin, Regis & Reg. Matr. Med. ord. Ducissæ Aurel Archiater. & (Pharm. Prof.
M. Mathurinus Denyau, Prof. Reg.
M. Franciscus le Vignon.

Asserebat Lutetiæ NICOLAVS RAINSSANT, Parisinus, A.R.S.H.M. DC. LXII.